

**Ludus Heliconius, sive carmina miscellanea / quae variis in locis cecinit  
Emanuel Swedberg (Swedenborg).**

**Contributors**

Swedenborg, Emanuel, 1688-1772.  
Seneca, Lucius Annaeus, approximately 4 B.C.-65 A.D.  
Tafel, J. F. I. 1796-1863.

**Publication/Creation**

Tubingae : 'In Bibliopolio Zu-Guttenberg'; Londini : William Newbery, 1841.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ra58nxph>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*m*  
e/17

S. L 15

63292/3


The Library of the  
Wellcome Institute for  
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY  
OF LONDON

Accession Number

Press Mark

SWEDENBORG, E.




LUDUS HELICONIUS,  
SIVE  
**CARMINA MISCELLANEA,**



QUAE  
VARIIS IN LOCIS CECINIT

**E M A N . S W E D B E R G ,**  
(SWEDENBORG).



EDITIO TERTIA, EMENDATA ET LOCUPLETATA.

RECENSUIT  
**D<sup>r</sup> JOH. FRID. EMANUEL TAFEL,**  
REGIAE UNIVERSITATIS TUBINGENSIS BIBLIOTHECARIUS.

---

T U B I N G A E  
IN BIBLIOPOLIO ZU - GUTTENBERG.

L O N D I N I  
APUD WILLIAM NEWBERY, 6 CHENIES STREET, BED-  
FORD SQUARE.

1841.

PH

ЛІЧИМОСЯ СІМІЮ

ІІІ

ЛІЧИМОСЯ СІМІЮ

ІІІ

ЛІЧИМОСЯ СІМІЮ

ЛІЧИМОСЯ СІМІЮ

ЛІЧИМОСЯ СІМІЮ

ІІІ

ЛІЧИМОСЯ СІМІЮ

ІІІ

ЛІЧИМОСЯ СІМІЮ

ЛІЧИМОСЯ СІМІЮ

ЛІЧИМОСЯ СІМІЮ

ЛІЧИМОСЯ СІМІЮ

ЛІЧИМОСЯ СІМІЮ

ЛІЧИМОСЯ СІМІЮ

ІІІ

Н9

FESTIVUS APPLAUSUS  
IN VICTORIAM,  
QUAM CELSISSIMUS COMES  
**MAGNUS STENBOCK,**

DE DANIS AD HELSINGBURGUM 1710. MART. REPORTAVIT.

Conticeant strepitus et bella parumper et arma,  
Succedant plausus, jubila, vota, lyrae.  
Laetitiae resonet, feriat qui sidera, clamor,  
Ferveat ut sonitu quilibet inde locus:  
Heic plaudat Phoebus, plaudant heic ore Camenae,  
Ac iterum faciles in sua plectra volent.  
Pieris ipsa tamen tacito stet tacta pudore,  
Grandia quod parvo sint modulanda sono.  
Quisquis et Hesperio et Eoo vivit in Orbe,  
In Svionum plausus officiosus eat:  
Exsiliant septem confusim sede Triones,  
Laetius irradient circumeantque polum.  
Sancierat Superum quondam Regina Tonansque  
Tingeret Oceano ne ursa Borea caput;  
Tempore tam fausto si delituisset in undis,  
Protenus hinc totam se exseruisse putem.  
Subviridi Scani velent sua tempora fronde,  
In variis statuant celsa trophya locis:  
Nam rursus Boreos juverunt fata DEUSque,  
Succubuitque ferox, Marte favente, Danus;  
Cimbria transmisit quas insidiosa catervas,  
Has subito stravit miles ad arma novus.  
Sic licet Eois CAROLUS diversus in oris,  
Attamen infestos terruit inde Danos:  
Ipsius ut rumor circum fuit agmina sparsus,  
Protenus innumeri militis instar erat:  
Auspicio CAROLUS, ductu STENBOCKIUS hostem  
Dispulit, Hic dextra, nominis ille metu.  
Et Tu, STENBOCKI! CAROLIS spectate duobus,  
Gloria Tu Patriae es deliciosa Tuae;

Sume Triumphalem circum Tua tempora laurum,  
Si par sit meritis illa corona Tuis:  
Scande novos currus, duc Victor Magne! triumphum,  
Spargentur palmae, carmina Musa canet.  
Si Te, Celse Comes! talem gens prisca tulisset,  
Conspicuum Coelo Te posuisse reor:  
At radiat nitidum stellanti sidus in axe,  
Quod Tua, STENBOCKI! nomina celsa refert;  
Nomina quae tulerat sidus, per saecula servet,  
Et junctim servet, nomina, Magne! Tua.  
In Te mens cognata polo, virtusque Parentum  
Eminet, est Pater in Te, est redivivus Avus.  
Vosque duces magni Svionum qui fulcra fuistis,  
Nomina tam parvis non referenda modis;  
Nomina si vultis memori committere Cedro,  
Quam claris titulis illa superba foret.  
Aurea donetur vobis non querna Corona,  
Qui vestrum meruit, sidereumque ferat:  
Consiliis vestris, animis, virtutibus hostis  
Stratus, nunc Aquilas, arma virosque gemit.  
Liquerat Is nuper Danicas numerosus arenas,  
Sed rediens paucis concomitatus erat:  
Agmina ceu comites fuerant male fida sequuti  
Et Timor et Pallor cumque pudore fuga:  
Intonuit dextrum, subduxit nubila Phoebus,  
Exitium dixit causa deditque DEUS.  
Causa pigenda subest, Regum quae dedecet ostrum,  
Quam merito causam rideat ipse Danus:  
A CAROLO cautum est, ne crescat spiritus Hosti;  
En crevit, vere vaticinatus erat.  
In CAROLI vetuit laudes exire Poetas,  
Cum tamen est major laudibus Ipse Suis:  
Scilicet hoc propter sudabit sanguine litus,  
Hoc propter flamas, classica, vela paras.  
Se decoret miles lauru, decorentque Poetae,  
De Caeso figant bina trophyea Dano:  
Castalis in CAROLI laudes nunc exeat omnis,  
In laudes vena liberiore fluat.

Praecipe jam Cimber magnos in mente triumphos,  
Supplicium dederas, vaticinorque dabis.  
Quamlibet infesti jungant sua signa Triones,  
Agmina consocient et numerosa Duces,  
At DEUS hanc CAROLO sub Rege tuebitur Arcton,  
Vel crepitent armis Tres Triadumque Trias.  
Mars aderit Boreus Lunatis multus in armis,  
Ac iterum rupti foederis ulti erit.  
Luna polo novies latuit, noviesque recrevit  
Quo Boreum Solem Turcica Luna tulit.  
Dimidiata prius, Caesar! Tua Luna refulsit,  
Nunc at adoptivo lumine plena micat.  
Dum Sol noster abest, ne nos erremus in umbris  
Caverat, hinc Patriae sidera multa dedit;  
Vos, Celsi Comites! dederat, vos estis et astra,  
Qui Arctoas regitis Sole morante plagas:  
En ovat auspiciis totus septentrio vestris,  
Auspiciis vestris Cimbria moesta dolet;  
Servastis Patriam: Cives! date laurea sertam,  
Ni sint pro meritis laurea sertam parum;  
Conspicitur Coelo septem distincta Corona  
Stellis, haec Vos, haec nomina Vestra cupit.  
CAROLE! spes Sionum! Te Musae et Sceptra reposcunt,  
Hac resonant aiae, pulpita, templa prece:  
Te Soror ac Avia en revocant, Patriaeque Penates,  
Quam sapiat triplex, experiaris, amor.  
Plus satis es, CAROLE! Garamanti notus et Indo;  
Vix tamen es Patriae notus ab Ore Tuae,  
En Tibi Germanus famulas exporrigit ulnas,  
Esse volunt Comites Caesar uterque Tui.  
Oceanus cupiet totum Tibi sternere pontum,  
Inque Tuos redditus officiosus erit;  
Nubila disjicit Phoebus, sua lumina didet,  
Gavisus radiis posse favere suis:  
Sic Musae recinent, ah venit noster Apollo!  
Ah voveo veniat, vester Apollo, brevi:  
CAROLE! qui mensis Patrio Te sistet in Orbe,  
Sit tuus in fastis perpetuoque sacer.

AD  
VIRUM ILLUSTREM

IN

**ADVENTUM UXORIS EJUS,**

Comitante illam nova prole, Ultrajectum ad Rhenum 1713.

Jam celebrem solus circum velut otior urbem,  
     Nomine quam Leidam Batava turba vocat.  
 Fossaque transcurrit muros, circumambulo fossam,  
     In varias formas quae sinuosa fluit;  
 Lymphaque me secum spatiantem dicit in orbem,  
     Nam Comes in ripa quo meat Illa sequor:  
 Flectit et in Boream jam me, jam flectit in austrum,  
     Circuituque meam ludit ubique viam.  
 Est quasi quid Numen quod jam dum vivit in undis;  
     Assiduo nostrum quod comitetur iter:  
 Instar et est quaedam latitet sub flumine Najas,  
     Quae circum lymphas dicit agitque suas,  
 Et quia sim solus, quae mecum lusilis erret,  
     Adque meum jungat se societque latus.  
 Hic ego dum spatior laevis sine Carmine chartam,  
     Quae tamen est numeris hisce dicata, gerens;  
 Quae velut a Zephyro leviter sufflante tremiscit,  
     Et digitos inter ludit aperta meos;  
 Me quasi permulcens, a me quid Carminis orat,  
     Atque in se nostros optat habere jocos.  
 Laetus ut hic spatior sola comitatus ab unda,  
     Dispulit en curas mens operosa suas:  
 Tristia diffugiunt, subit et cum Carmine cantus,  
     Est mentis vacuae nam modulamen opus.  
 Venit amor citharae subito venitque Camenae,  
     Protenus et voluit plectra movere manus:  
 O mihi, clamabam, properanter adeste Camenae,  
     Et precor in nostrum sponte venite sinum;  
 In me dum vocito cultas vocitoque Camenas,  
     Me super en Volucris penna streporque sonat:

Illico suspicio, volat en! per inane columba,  
Inque auris alas concutit alta suas;  
Sic properat traheret niveo quasi corpore currum,  
Quo pulchre vehitur deliciosa Venus.  
Alitis in toto fulgebat corpore candor,  
Candidus ipse sinus, candida penna fuit:  
Dat color indicium quod sit sine conjugie Turtur,  
Quae sine conjugii vivere sorte nequit.  
Cum magis adproperat, video quid in ore gerebat,  
Ramulus in nidum credo ferendus erat;  
Foetus erat quidam quem carpsit ab arbore Palmae,  
In quo mature quid viridantis erat.  
Non procul hinc Arbor patulae surgebat Olivae,  
Cujus adhuc foliis frons inamicta fuit,  
Sed dedit indicium, quod ver, quod tempus adisset,  
Quo fieri viridis rursus Oliva solet.  
Huc sinuat cursum veniens cum fronde Columba,  
Inque Oleae tandem stirpe resedit iners.  
En magis, hac dicta stetit alter in arbore Turtur,  
Hujus Amaticis credo Maritus erat,  
Qui varios motus et ovantia murmura fecit,  
Ludere cum socia mox redeunte parans.  
Vix fruor hoc visu, dum venit ab urbe Camena,  
Quae modo de Leidis evocitata fuit.  
Admotamque sibi sic clam dicebat in aurem:  
Cur facis hic, vates! incomitatus iter?  
O cape me sociam; fac ne Tua gaudia rumpam,  
Et fac in modulos temet ut ipsa juvem.  
Anne heic vidisti, quid nuper ab urbe volavit,  
Scisne quid in canae Turturis ore fuit?  
Ramus erat Palmae, quem duxit in ore Columba,  
Porrexitque suo quem speciosa Viro.  
Nescis an auspicium, Tene omina tanta latebunt,  
Nil an ob adventum vaticinaris avis;  
Anne suam sociam nuper, quasi Turtur amicam,  
Ipse Tuus Palmquist et sua vota tulit.  
Eine putas ludi vel ovantia murmura cessent,  
Eine putas blandae vocis abesse jocos.

Cetera num nescis, versate per omnia mentem,  
 Num quid quae nondum frondet Oliva velit;  
 Quam volucer petiit, prior et qua constitit alter.  
 Qua Dea Pax habitat, quam Dea Pallas amat.  
 Multa sub hoc volucris latitant arcana volatu,  
 Pandere quae Pallas, quae Cytherea vetat.  
 Dixit ut hoc Nymphē risitque, inopina tacebat,  
 Mutaque dum stabat, mutus et Ipse steti.  
 Mentis inops aji, dic quid modulabor Amica,  
 Nil scio quid dicam si, mea Nympha! siles:  
**O** stupor! Haec retulit, simne Ipsa in Carmine tota,  
 Ipsa tuum tantum num modulamen ero.  
 Dic precor Eis geminum sed in uno Carmine votum,  
 Ille suam sociam retulit, Illa suum.  
 Dixit ut hoc jussum, rursusque repente tacebat,  
 Seque simul noster stitit in ore modus:  
 At mecum indignans longo post murmure dixi,  
 Dicere cur geminum jusserrat Illa Vale;  
 Cur non innumerum, cur non plus mille jubebat,  
 In vota ô nimium parca Camena fuit:  
 Usque sed hoc geminum votum, licet Ipsa recuset,  
 Ingeminare Tibi bis iterumque velim.  
 Ipsa Tui consors societ tot gaudia Tecum:  
 Quot scio Te, Palmquist! dinumerasse notas:  
 Si Tibi sint lucis, si tempora noctis agenda,  
 Vel si Te lumen Teque vel umbra tegat;  
 Vos geminos inter tot laeta jocentur, utroque  
 Quot numerat minimos Phoebus in axe gradus.  
 En Tibi quid referam, dum festa haec Carmina pando,  
 Dum circum ripas incomitatus eo;  
 Dumque gero laevis recipit quae Carmina chartam,  
 Dum super haec primam pansa tenetur aquam;  
 Illa mihi primis reflexa videtur in undis,  
 Pendet ut in mediis scripta fuisset aquis;  
 Et Tibi quod scribo scriptumque videtur in unda,  
 Quod voveo inque ipsa paene vovetur aqua:  
 Votaque quae gemino, rursus geminantur ab unda,  
 Opto quod, in summa Najas et optat aquis;

Cum Tibi per ripas laetorum millia vovi,  
Bis Tibi laetorum millia lympha vovet.

En Tibi transmitto quam, Vir Generose! Camenam;  
Sub Jove, sub coelis hanc modulatus eram.  
Cumque ego muralem modulator obambulo lympham,  
Sponte sua pandit mens operosa modos:  
Dumque quid invenio numeros quod currit in aptos  
Mox in Gramineis membra repono locis,  
Queis superinjicio chartam, ne terra sit uda,  
Carmen et inscribo quod meditatus eram;  
Saepius ad truncum mea membra manumque reclino,  
Corpore cum nolim tangere creber humum,  
Atque meam teneo figoque in cortice chartam,  
Sic super inscribens quos Tibi mitto jocos:  
Hicce mei affultu recipit Tua nomina stipes,  
Ille Tui leviter vota valeque capit.  
Sis memor hinc Leidam quaevis quae circuit arbor,  
In se quid memoris sentit habere Tui;  
Si foret heic laurus darem Tua nomina lauro;  
Si cedrus in cedris scriptus ubique fores.

---

LUSUS EXTEMPORALIS  
AD AMICUM QUENDAM,  
Oxoniae 1712.

En jaceo multa jam circum fusus ab herba,  
Et fere sufflavis oculor ipse rosis:  
Sicque meos artus gramen circumtegit, herba  
Ut circumerrans sit modo visa mihi:  
Haec me porrectum numeroso corpore stipat,  
Atque mihi tenebris frigora mista facit.  
Arcet et a nostro Phoebeum corpore lumen,  
Illiis et radiis tangar ut Ipse vetat.  
At quae se motat mea dextra canitque movendo,  
Undique se Phoebi lumine plena movet.  
Sive videre velit, modulor quae Carmina, Phoebus,  
In numeros properam sive juvare manum;

Sive meam Musam quasi priscus amator adire,  
Ad chartam et digitos nam mea Diva jacet.  
En latus ad nostrum cum sic mea Musa jacebat,  
Et nos circumstans condidit herba duos:  
Illa meum tetigit blande bis terque lacertum,  
Atque meas mulsit deliciosa genas:  
Et sub blanditiis dixit, dic oro salutem  
A . . . multam dicue quod opto, Tuo.  
Adde, quod Illius sic ducar amore Camena,  
Illius ut potior quod sit amore Tui:  
Adjice quod Phoebus, (nam sic mihi dixit in aurem,)  
Illum Cultorem nominet Ipse suum:  
Temet et adnumeres nobis, tribus ut sit amicus,  
Scilicet ut Phoebo, sit mihi, sitque Tibi.  
Nosque tenet junctim quia Tres hic cespes et herba,  
Jungit in hac votum Ternus Amator humo.  
Conticuit, virides cum lumina mitto per herbas,  
Intueorque meam sed modo mente Deam:  
En citius dictu, mihi Nympha subibat, amicta  
Quae viridi steterat, sis memor ipse, toga;  
Binaque quam tantum divisit utrinque fenestra  
Et plateae in latum non spatiantis humus:  
Cumque animum vitis nostrum diffudit et uva,  
Vesper et incepit cum tenebrare diem:  
Quae nos transversis Bacchumque videbat ocellis  
Subjectas simulans cauta videre vias.  
Atque Comes noster cum se curvabat, et Ipsum  
Vitiferum multo flexit honore DEUM;  
Illa retrospexit, memini, paulumque favebat,  
Et genibus flexis officiosa fuit;  
Demisitque femur, quod mos solet esse Puellae,  
Corpore demisso sit placitura putat:  
Non secus ac gratum foret id nimiumque venustum,  
Corporis hanc partem sic sinuare Sui,  
Haec modo flexibilis nam Pars agilisque Puellae  
Si sit quod multis sit placitura putat,  
Illa fuit viridi velut undique gramine cincta,  
Floribus aut Majae sicut amicta foret.

(En calatum cingunt, chartam Musamque canentis  
Melliflui flores, multaque thymbra mei,  
Jamque hanc succinerem modulis cum forte Puellam,  
Accidit e thymbrae flore capebat apis;  
Inque ipsum Nymphae nomen, quasi dulce quid esset,  
Deque ipsis traheret mel velut Ille modis,  
Nescio de Nympha num combibit Ille pusillum  
Succum, sed numeros impedit usque meos:  
At fugit, en video quod jam flavescat utrumque  
Et femur, ad sua quod tecta favosque volet.)  
Sed mox haec intra se claustra Puella recepit  
Et subiit facies quae sed anilis erat,  
Cui demsit canos et multas vespera rugas  
Et juvenes fecit virgineasque genas;  
Hinc, memini, nostrum quidam cum mobilis esse  
Illi vellet flexibilisque poples;  
Quod grandaeva Illi toto cum corpore Mater  
Bis pede bisque comis officiosa foret;  
Sponte sua flexit sed se cum fronte capillus  
Quippe aetas capiti pondus onusque dedit:  
Ipse sed obticui, nosti, mutusque sedebam,  
In facie dubiae quid gravitatis habens:  
Inque meum repsit cerebrum quia Pieris, inde  
In se etiam mentem fixerat Illa meam,  
Atque animo quidquid meditabar, ab ore vetabat,  
Iret ut in voces hoc sonitumque, meo.  
Musa suum lusit quia sic risitque Poëtam,  
En poenam dixi, quod sit iniqua lues;  
Hinc magis Illius prius ut non tangor amore,  
Cum sola solus non magis ipse jocor;  
Quem docet, excipio raro jam Carmine cantum,  
Vix quoque si jubeat multa rogatus ago.  
Sed mihi surripuit non plus hoc temporis, una  
De toto Phoebi quam solet hora die.  
Parte reor coeli jam dum quoque perget eadem  
Phoebus vix ierat quinque decemque gradus.  
Quamlibet is currit semper properatque per axem,  
Sustulit undecimum vix tamen Ille pedem;

Vixque unum Carmen jamdum confecit in axe,  
Tot propere cecini cum tamen Ipse modos:  
En prope sub plantis ludit resonatque fluentum,  
Pisciculosque unus qui capit adstat aquis.  
Ultimus hic numerus cum clauderet Ipse priores,  
Insidiis piscis captus et alter erat:  
Venit ut ex undis multum quasi lusit in aura,  
Et saltus quosdam fecit ibique modos;  
Inque auram sursum cum desiit Ille salire,  
Desiit et plectrum Nympha movere meum.

---

F A B U L A  
DE  
PERILLAE ET NEREI AMORE.

---

Inter Hyperboreas olim pulcherrima Nymphas  
Telluris proles prima, Perilla fuit:  
Sola fuit quondam spatiataque litore sola,  
Nam fuit Ipsa Sibi deliciosa comes.  
Pax erat Oceano siluitque et ventus et aequor,  
Ac instar laevi marmoris unda stetit:  
Huc illuc agiles saliisse sub aequore pisces  
Visum est, et tremulos effigiasse sinus;  
Sol et marmoreis paulum tremulabat ab undis,  
Totus et in fundo concavus axis erat:  
Quae steterant supra, montes sylvaeque domusque  
In medio veluti mersa fuere salo.  
Cumque suas volucer vibrabat in aëre pennas,  
Umbra et sub ponto visa volantis erat:  
Ipsaque sub lymphis speciosa tuentis imago  
Constituit inverso cum pede juncta pedi:  
Cum sua membra movet, sua membra movebat imago,  
Risit, sub medio risit et umbra freto.  
Sed simul huic latuit Nereus conterminus umbrae,  
Inque suis gelidis arsit amator aquis.

Os quia Virgineum densis suspexit ab auris  
Sole repercutsum, pulchrius inde fuit.  
Non secus ac aqueos Iris spectata per arcus,  
Non secus ac Eos cum exit et intrat aquas.  
Haeret in obtutu subque undis concipit ignem,  
Inque suo insidias aequore tutus agit:  
Et modo nunc udo centum sub pectore versat,  
Et modo jam centum non probat Ille dolos.  
Jam trifido voluit litus subvertere telo,  
Ut suimet ulnis excipienda cadat.  
Jam placet a toto secernere litore litus,  
Ut sic amplexum sponte juvantis amet;  
Jam comes esse suis quas Phoebus colligit undis,  
Imber ut in Nympham tutus Amator eat.  
Increpat Ipse tamen Se, nam non esse venustum  
Dicit, pollicitis est capienda meis;  
Protenus e summis canum caput extulit undis,  
At sua canities fronde adoperta fuit:  
Si tenerum placeat, dixit, Tibi nomen amantis,  
En heic qui praefert nomen amantis adest:  
Divaque si fieri calidisque assuescere votis,  
Te nauta et pontus Te quoque Nympha colet.  
Si Tibi divitiae cordi, si gemmea dextris  
Sceptra, en has tantum possidet aequor opes.  
Si Tibi displiceam pro Te feret altera pontum,  
Illa Tibi leges et Tibi jura dabit.  
Nympha sed expavit totoque expalluit ore,  
Sic velut in gelidas lapsa fuisse aquas:  
Litora devovit, per densas concita sylvas  
Erupit, timidae et praetulit ora fugae:  
Non timor Ei sylvae praeruptaque saxa fuere,  
Ipse fuit Nereus, litus amorque timor.  
Hinc cupit in mediis totam se condere lustris  
Jamque est nec tigris neve leaena timor.  
Quae prius ad quamvis mollemque cohorruit auram,  
Jam cupit ut toto Jupiter axe tonet:  
Nam prope subsequitur vario cum murmure Nereus,  
Et sinuat gressus insidiasque parat.

Jam fere currentis retinet vestigia Nymphae,  
 Jam quasi sub pedibus ludere visus erat.  
 Cursus erat rapidi veluti torrentis, et Ipsa  
     Vox erat Ei tamquam grande sonantis aquae:  
 Nunc gemit et queritur, tumido nunc ore minatur,  
     Jam vocem intendit, jam quoque frangit amans;  
 Caecus et in scopulos truncos salebrosaque saxa  
     Irruit, ac artus vulnerat Ipse suos.  
 Nympha per objectos lacerat velamina ramos,  
     Sente secans teneros, qua patuere, pedes.  
 Vix bene jam spirat, pectus quasi clauditur auris,  
     Multus et e toto corpore sudor abit,  
 Colligit hunc Nereus, trepidis immiscet et undis,  
     Caraque de caro corpore gutta fuit:  
 Gutta sed invito, mirum, se miscuit undae,  
     Dumque undam tetigit, frigida facta fuit.  
 Rupis erat juxta propere quam scandit anhela,  
     Quae foret aequoreo non adeunda deo:  
 Fessa licet rupem superat, timor addidit alas,  
     Nullaque cum saxis lucta laborque fuit.  
 Unda per erectum sic fertur in aëra plumbum,  
     Inque altum multo flumine pressa salit.  
 Constitit alta jugo Laurus, Tua dicta Minerva!  
     In qua Pyramidos forma decorque fuit.  
 Huc volat et brevibus laurum sic implicat ulnis,  
     Prout hedera aut quaevis reptilis herba solet.  
 Hic sine voce stetit, demsit timor ipse loquela,  
     Spiritus et presso stipite pressus erat.  
 Quod potuit tantum, timido modo murmurat ore,  
     Invocat et fessa et supplice voce Deam:  
 Affer opem, dicit, Te amplector in arbore, Diva!  
     Me in gremio laedi ne patiare Tuo:  
 Moxque preces, lacrymas, plausus confudit in unum,  
     Oscula corticibus multa et amara dedit.  
 Annuit Ei Laurus, fuit ipsa sub arbore Diva,  
     Anxia pro casta virgine virgo fuit:  
 Exit et a calido Nympham Dea cortice vellit,  
     Et subit in gremium quo prius arbor erat.

Cum tremulum vidi, pallentia lusit in ora,  
Lusit et in laceros Diva jocosa sinus.  
Quumque jocis animum dederit faciemque Puellae,  
Alloquitur blandis seria mista sonis.  
Nescis et o nescis thalamos quos effugis, inquit,  
Sceptra, DEUM ponti, divitiasque fugis.  
Siste, Perilla! gradus, agitur pars tertia mundi,  
Sceptraque Junoni et regna secunda Jovi;  
Quem fugis, e multis multae petiere Puellae,  
Votaque multarum sola Perilla fugis.  
Cur mihi blandiris, cur me Tua brachia mulcent?  
Es mea, crede mihi, sumque, Perilla! Tua;  
Inspice si possis pectus vel et inspice vultum,  
Dic mihi num pluris Te Tua mater amet.  
Affer opem, clamas, magnus Tibi Nereus instat,  
Quicquid opis possim, me tribuente, feres:  
Inspiceres utinam volucris tua tempora vitae,  
Sponte nec hunc peteres sollicitata torum:  
Aequoris in thalamo Nymphas post secla sedentes  
Aspicies oculis invida saepe Tuis.  
Supplicat Illa tamen pulchra ore rubente Perilla,  
Unus amor, dixit, Tu mihi, Pallas! eris.  
Oscula non ausit labris vel forte nequivit  
Nympha dare, Illa brevis celsaque Pallas erat:  
Figit ubi potuit, gremio quia Palladis haesit,  
Huic dat, in hoc condit suavia multa sinu.  
His Dea mota fuit, parvae mox cassida fronti  
Applicat et teneris aegida quanta toris:  
Inde ferox refluit Nereus stimulatus ab ira,  
Inque suis semet condit amarus aquis.  
Nostra Tibi vilis quamvis sit regia, dicit,  
Et licet armisonans sit Tibi Pallas amor,  
Te tamen ambobus claudam, mihi crede, lacertis,  
Hoc in corde tenes plus quia parte mei:  
Dixerat, et propere nunc huc, nunc volvitur illuc,  
Jam ruit in gyrum, jam quasi lentus abit:  
Labitur in cuneum, subtensum format et arcum,  
Inque latus pergit, circuit atque cavat.

Si referat verum vates, Tua terra Perilla!  
Effigiem magni pectoris inde tulit.  
Ipse DEUS multo circum Te flumine currit,  
Teque suum veluti sanguine pectus alit:  
Influit et refluit, terraeque in viscera dulcem  
In venas instar mittit Amator aquam.  
Dat quoque, si credas, jamdum mulcimina Nymphae,  
Atque preces repetit, num velit esse sua.

---

AD

## VIRUM CELSISSIMUM

### CARMEN EPISTOLARE.

---

En Tibi quid referam? liceatne referre jocosa?  
Ludere nam Tecum nostra Camena cupit.  
Quid decus est pulchrae quid forma venusta Puellae,  
Ni quoque sit cultis deliciosa jocis?  
Tempus adest, Phoebus cum multus in axe moratur,  
Serus in occiduum cum cadit ille mare.  
Cum propior geminis rutilus fert lampadas ursis,  
Nec procul a Borea dissidet altus humo.  
Tunc mea, quam numerem minimas Heliconidas inter,  
Me prope sub myrto musa Borea fuit.  
Et mihi dic, Vates! ait, quid agrestis in umbra,  
Inque suburbana, lente! recumbis humo?  
Quidve domi latitas, qui jam peregrinus ab oris  
Nuper ad haec Patris factus es arva redux?  
Surge, precor! rursusque migra properanter in urbem,  
Quae Duce, quae populis ambitiosa tumet;  
Quaeque Virum Lauris, quae Dis, quae Principe  
gaudet.  
Totque ubi sunt aulae, totque trophyea nitent.  
Quid juvat hoc ruris, quid nos jaceamus inertes?  
O quam nos nymphas urbs populosa decet!  
Risit ad haec Vates retulitque jocanter, amica!  
O quam diversae te trahit Urbis amor.

Nilne times Procerum, gemini nil Principis aulas?  
Nil quoque Bellonam, quae tenet urbis ebur?  
Quid velis ignotos inter, quis carmen amabit,  
Et quis delicias Martis in urbe Tuas?  
Sunt ubi Magnates, qui Musam et Pallada spectent!  
Est ubi sub nostro Delphica terra polo?  
Hinc maneas potius, cole mecum hoc ruris et urbem,  
Aptius adveniat cum Tibi tempus, adi.  
Vel scio quid facies, si sit Tibi tanta cupido  
Imbelli fortis jam penes esse Viros.  
Indue Coeruleum, Parnassidos exue cinctum,  
Amazonem poteris, vel simulare Virum:  
Vel poteris Martem, Clypeo circumdare pectus,  
Si velis et geminas ense gravare manus.  
Sive Deam Belli; circum modo solvito crinem,  
Atque supra binas Te relocato rotas.  
Sic transformis eas; et in hocce placebere cinctu,  
Temporibus cinctus par erit ille Tuis.  
Dumque tenes urbem, quam multa palatia linque;  
Sitque modo oculis curia tacta tuis:  
Neve gradum sistas, socies nec carmina nervis,  
Quam cum \*\*\*\* sit tibi visa domus.  
Est puto pallenti est flava circumoblita calce;  
Miles ubi excubias alter et alter agit.  
Quam dum rescieris, properes Heliconi! parumque  
Dum retrahes animam, in limine siste pedem.  
Dicque tuum nomen, frontemque fidemque revela,  
Et Citharae carmen vel quoque junge lyrae.  
Nec metue, est comis Nymphisque affabilis, esset  
Clio! velut proles, Melpomeneve! Tua?  
Est Vir adhuc juvenis, liceat si credere famae,  
Quippe mihi nondum notus ab ore fuit.  
Frons est Ei facilis, ridensque patensque Camenis:  
Sic quasi, Maecenas delitiose! Tua.  
Labraque purpurei sunt plena decoris, ut olim  
Vaticinor Suadae dulciloquentis erant.  
Flamma novusque novusque Vigor translucet ocellos,  
Temporis ambiguas queis videt Ille vices.

Hunc simul ut spectas, erit Is Tibi Magnus Apollo;  
Illiisque oris forsan Apollo fuit.  
Ut venit adpropria parvumque dedisse libellum,  
Nomine qui Borea est dicta Camena refer.  
Et nomen fateare meum, fateare Parentis;  
Eique Tuos narres officiosa jocos.  
Sive Leonta velis, formosam sive Coronin,  
Sive referre Tuos, dulcis Olivi! faces.  
Sunt modo fabellae, vel res sine pondere, quales  
Garrula, cum veniat vespera, narrat anus.  
Ast ideo volui sint ut sine pondere, mentis  
Ut bene discutiant pondera multa Tuae.  
Et ne dextra vacet, sparsum quoque porridge carmen:  
Tingat at exiguus, dum legit, ora rubor.  
Cum legit et narras, si forte supervenit alter,  
Si rota ferrisonans, saxave pulset equus:  
Tunc tenet aut portam Magnas, aut limina Princeps,  
Adque Tuas Musas Ille vel Ille cupit.  
Si, Parnassi! sapis, tunc post aulaea jaceto,  
Dumque vacet, Phoebum rursus adito Tuum.  
Si Te Hic Phoebus amet, solet Is per amare Camenas,  
Quam, Parnassi! mihi magna Minerva foret.  
Hanc Tibi, Celse Comes! Boream cum mitto Camenam  
Nox \*) est, quae vincit paene nitore dies.  
Quam celebrant ludis juvenes, celebrantque venustae,  
Quam Dryas et Najas, quam quoque rura colunt.  
Ponitur in medio sublimis in aëra Malus \*\*),  
E quo cum Lauris pendet Oliva novis.  
Quem circum Juvenes saliunt mollesque Puellae,  
Altera cum alterius consociata manu.  
Credere si liceat, sua tunc capit omnia Vulgus,  
Tunc populo sortes vulgat Apollo suas:  
Si saltent, referunt, plectantque hac nocte cho-  
reas.  
Inde sequens annus deliciosus erit.

\*) Midsommars natten.

\*\*) Dansa omkring Majstängen.

Hinc ego nunc modulor, nocturnaque carmina pando:  
Omen inest, annus deliciosus erit:  
Omen inest, recinent Tibi carmina mille Camenae,  
Seque Tibi faciet Musa Borea sacram.

---

POMPA ANTEFUNEBRIS,  
CUM REGINA AVIA SVECIAE,  
HEDEVIGA ELEONORA,

COMITANTE

SCEPTRO, CORONA, AULA, MILITE,  
EFFERRETUR AD SEPULCRUM.

---

Frangito, Sappho! citharam, fidesque  
Rumpito laetas, Tibi, Nympha! tempus  
Venit, ut tandem incomitata nervis  
Carmina cantes.

Quae volaras sic toties ab arcto,  
Fama! in Europen Svionas celebrans:  
Jam sede ad bustum, et simul ede paucas  
murmure voces.

Gloriae arctoae Dea! tot triumphis  
Clara, tot lauris, gema! proque Lauro  
Sit Tibi jam Vitta, loco triumphi  
Pompa doloris.

Tu terror quondam populis decore!  
Aureum Sceptrum! quid adhuc smaragdis,  
Quid micas astris, comiteris urnam  
usque sub orbem.

Tuque quae splendes adamante, quaeque  
Purpuram illustras radiis, Corona!  
Jam cuba pulvino in atro, jaceque  
pallida gemmis.

Aula! tot quondam Proavis avisque  
Inclyta, Europeis quoque sidus aulis.  
Jam minor justo es, comitare pompam,  
orba Parente.

Miles Arctoë! hanc quoque claude pompam;  
Moeste et inversis spatieris armis!  
Atque humi spectes, et amicta pullo  
Pectora plangas.

Tu \*) Parens Tellus Veterum Gothorum!  
Gentium Bellona et origo quondam!  
Jam comis passis laceroque amictu  
adgeme pompeae!!!

---

\*) Suecia.

---

### IN FABROS

qui

### MAJORES FERRI MASSAS FORMANT.

---

Admovet Hic pondus rude praecipitatque Caminis,  
Hic ustum lignum suggerit, Ille faces.  
Succutit et versat massam hic, hic forcipe prendit,  
Incidi candens ille reponit onus.  
Hic circum incudem pergit, diffingit et ornat,  
Ingerit hic rivum grande sonantis aquae.  
Ex sonitu surdi stabant, ex sulphure nigri;  
Adde modo rugas ora Charontis erant.

---

IN

### FODINAM FAHLUNENSEM.

En mirum! in situla superis delabor ab auris,  
Et feror ad manes pendulus usque nigros.  
Sed mihi dum medio vibrabar in aëre pendens,  
Dulce fuit sacros concinuisse modos,

Dulce fuit tenuem fragilemque expendere vitam,  
Funis ab arbitrio quae mihi tota stetit.  
Ecce in fodinae latebris ruit infera turba,  
Sub vultu fusco me comitesque stupens:  
Subvolvit lapides pars, pars in pulvere sudat,  
Dejicit hic lignum, suggerit Ille faces.  
Ille subit latebras, Hic exserit ora lacunis  
Usta, Charon vel quae rideat ipse niger.  
Nititur hic tremulis scalis, subsidit in urna  
Hic, medium tantum sustinet urna virum.  
Hic sinuosa terit strata, hic et pergit in orbem:  
In gyrum parvos Ille recurvat equos.  
Omnia quid memorem, sunt plena laboris et artis,  
Non ars materiam est, illa nec arte minor.

---

## ULTIMORUM LAPponum DESCRIPTIO.

---

Ultimus in terris recubat quo circulus, ursa  
Quo decies septem surgit in axe gradus,  
Et medio occasum tumulat quo Phoebus in ortu,  
Hesperus ac oritur, Lucifer ipse cadit:  
Saepius in Coelo quo Sol ruit altus, in uno  
Quo vesper miscet seque ubi mane loco.  
Hic videoas Homines parvos et in ore rotundos;  
Et membris graciles, moribus esse feros:  
Eis rubet ad pectus vestis, sciteque plicatur,  
Et rubeas ornat fibula multa plicas:  
Pars ea sed nuda est, qua cingunt pectora costae,  
Est ibi dissuto vestis aperta sinu:  
Saepe sub hoc Boreas male cum frigesceret axe,  
In tali referunt intepuisse sinu.  
Per saltus volitant, sylvasque nivesque fatigant,  
Atque feri pellunt in sua lina feras:  
Saepe solent longos plantis subnectere contos,  
Ac timida citius currere saepe fera:

Ipse Patrem natus, Catulus velut ipse lyciscam  
 Insequitur, cursu non tamen ambo pari:  
 Ambo tamen pariter condunt sub pectore tela,  
 Saepe Tuo, Lynx! at saepius, Ursa! tuo;  
 Direptoque feris circumdant tergore membra,  
 Fit toga, fit tegimen, quod prius ursa fuit:  
 Sic plane induitur, modo pronus et ipse recumbat,  
 Cognata posset fallere pelle feras.

**In Poëtriam quandam cur Carmina Ejus  
 placeant.**

Dic mihi cur nervus, quem tangit amoena puella,  
 Plenior ingenio deliciisque sonet;  
 Cur quodam inficiant sua Carmina nectare Nymphae,  
 Cur vox e pulchro dulcior ore fluit:  
 Dicere quidquid amat, fluit id dicentis ab ore,  
 Contingitque labris verbula quaeque Suis;  
 Hinc amor in cantu est geminus, non Carmina tantum,  
 Ob labra sed vocem dulce Canentis amant.

**In Eandem, ut mihi rescribat.**

Non adamo tantum digitos linguamque disertae,  
 Labraque, queis toties oscula ferre velim:  
 Sed quodecumque moves quando Tua Carmina condis,  
 Nempe tuum totum mobile corpus amo:  
 Fortunatus ero, parvam si forte Camenam,  
 Literulam aut noster sit pariturus Amor.

**Delia in nive ambulans.**

Sola ut per flavos spatiata est Delia campos,  
 Alatus subito desuper imber adest:  
 Adstitit e summa delapsus Jupiter arce,  
 Ut DEUS argenti luderet imbre Deam,  
 Qua patuere sinus, se nix heic indidit audax,  
 Se velut in nidis multa recondit avis:  
 Moesta sed in lacrimam semet guttamque resolvit,  
 Victa quod a gremio candiore foret,

Membra dein fluxit tristis per lactea, demum  
In tunicae limbo gemmula facta stetit.

### In Puellam dictam VICTORIA.

Lux Tibi natalis dedit Victoria nomen,  
Multorum es voto nobilitata Ducum:  
Arma licet capias nusquam Victricia, Victrix  
At quod sis, dono Nympha! Parentis habes.  
Forma Tua est Victrix, hinc multa trophyea locabis;  
Sed scio succumbes quod quoque Victa semel.

### In nuptias Cujusdam dictae Aurora cum Sene.

Nilne Tui pigeat, nullo sis tactane luctu  
Velle apud antiquum nocte jacere virum.  
Si sapis, Aurora! cito quolibet aufuge mane,  
Et Phoebum in coelos concomitare Tuum.

### In Aurorae Cujusdam et Juvenis nuptias.

Innumeros ambo numeretis ut ordine Soles,  
Auroras nullas Luciferosque precor.  
Scilicet ut vestros Aurora et Lucifer inter,  
Transeat amplexus deliciasque velim.

### In Eosdem.

Pulchra Tuo irradiet semper Matuta cubili,  
Fervidus et medio Sponsus in igne cubet.  
Non timeas tenebras, semper Tibi crastinus atque  
In medio, miror, noctis apricus eris.  
Cum Tua puniceis thalamis Pallantias exit,  
Tempora tunc dicam noctis opacus agis!

### Aliter.

Diva modo pernox amplectitur ipsa maritum;  
Anniculus gremio Tu sed inesse potes.

### In Juvenis et Vetulae mulieris nuptias.

Cur vetulam ducis, Juvenis peramande Puellis?

Cur gelidam calido vis refovere sinu?

Credideris forsan recalescere posse morando,

Ut gelidum quondam Pygmalionis opus.

### Aliter.

Quid velis, o Juvenis! Vetulam Tibi jungere lecto?

Et gremio tantum quid refovere gelu.

Est veluti glacies, fortasse liquecet in undam,

Cum flammis circum fota sit illa tuis.

### Aliter.

Non bene conveniunt nec in una sede morantur,

Quae sunt naturis dissociata suis.

Mollia cum duris, cum siccis humida certant;

Cumque igne et calidis frigida pugnat hyems.

Num par hoc dispar concordia suavia junget,

Sicca dabit Juvenis, humida reddet anus.

### Aliter.

Quot Tibi non canerent mea Carmina vota, Belinda!

Quot non optarem deliciosa tori.

Si prius, ut fueras olim, juvenescere posses;

Sique novata annis Colchidos arte fores.

### In par senile cum inirent nuptias.

Cypri! move risum, festisque applaudite Musae!

In numeros tremule, curva Senecta! rue.

En celebrant taedas, ineunteque recentis amoris

Foedera, queis ardor nullus et ignis inest.

Sic reor umbra umbrae, sic viti jungitur ulmus;

Marmora Sculptoris sic sociantur ope.

### Aliter.

Ruga Tua, o mulier! sulcet quam tortilis ora;

Inque quot est pellis ducta reducta plicas.

In rugis habitas, quas si replicare per orbem  
Posses, o eses quam spatio sa gigas.  
Corpo re credo tuo gemino fores aequa Parenti,  
Et totum posses intus habere Virum.

### In Doctissimi et Pulcherrimae nuptias.

O bene quam Docti circumdent brachia Pulchram;  
Quam bene formosas ingeniosus amet.  
Nam mens in quovis habitat mortali superne.  
Forma loco semper inferiore jacet.

### Aliter.

O quam sis cultus, nove Sponse! at cultior illa,  
Ex Te vaticinor post breve tempus erit.

### In Poëtae et Puellae nuptias.

Incole Parnassum nunc, Sponse! adamaque Camenam;  
Virgineumque sinu nunc Helicona fove.  
Sique dies aestu caleat, si labra sitescant,  
Ex aganippeo plurima fonte bibas.  
Carmina cum cantas, cum plectis pectine nervos,  
Tangere fac nervum discat ut Illa tuum:  
Et cum per resonas jam ludis arundine silvas,  
Non procul a sponsa ludat arundo Tua.

### Aliter.

En vates! geminam sed in una virgine Musam  
Tam, Romane! tuam, quam quoque, Suece! tuam.

### Epithalamium in Amici Poëtae nuptias.

Armisoni strepitus procul hinc procul este timores;  
Et triplices triplici rumor ab hoste tace.  
Ast Citharae subeant ac pulsi pectine nervi:  
Multae Tibi et suetis gaudia juncta jocis.

Ad numerum nymphae saliant plaudantque choreas,  
Molliter alternent hae sinuentque pedes.  
Nam datur XXXX conjux datur ecce XXX  
Incipiunt pariter conjugē et ambo frui.  
Ille lyrae solers tot amatus saepe Camenis,  
Unius est Nymphae non nisi factus amor.  
Dicitur Haec (liceat laudanti credere famae  
Cum nec adhuc oculis nota sit Illa meis)  
Moribus esse Charin; oculis ac arte Minervam:  
Et labiis Floram; ac ore genisque Cyprin.  
Possidet has Divas junctim spectatque tenetque  
\*\*\*\*\*, teneat, possideatque precor!  
Pluribus una Charis placuit sive una Minerva;  
Ast Hic, multorum quod fuit, unus habet.  
O novies faustum! o Veneris sub sidere natum!  
Cujus in amplexum haec Sponsa venusta venit.  
Vaticinor decimo cum Luna moratur in orbe,  
Sponsus erit genitor, sponsaque mater erit.  
Sive Puer niveus vestrum distingue amorem:  
In vestra aut ludet parva Puella domo.  
Moribus Hi referant Charites referantve Parentes;  
Ore suo Matrem Haec reddat, Hic ore Patrem:  
Noscit ut genitor parva sub imagine vultus  
Ipse suos; videat Mater ut ipsa suos.  
Sin numerosa domus fiat, sique annua proles;  
Hic Matrem, Hic Patrem, Hic effigiabit avos.

In obitum Puellae dictae Dorothea, in  
veris tempore.

Cum Ver extinctos veteresque regnere flores,  
Atque animare solet quae periere rosas.  
Maja que cum veniat, cum circum serta Puella  
Et Juvenis palmis consociata ruit;  
Tunc, Dorothea! fugis, tunc Ver dulcesque Chorea  
Linquis et in brumae tempora tristis abis.  
Es quasi Narcissus, solet is pallescere, primi  
Tempora cum veris pulchraque Maja venit.

### Aliter.

Cum novus in Vernos ales fert stramina nidos,  
Cum conjux volucer se super ova locat:  
Tunc cadi exanimis, nec pullos elicis ovis;  
Nidulus exiguae nec tuus abdit aves.

### In Poëtam naufragum et ejus Camenam.

Proh dolor! in gelidis jacet is gelidissimus undis,  
In cujus tantum lampadis ore fuit:  
Proh dolor! in frigus formosus vertitur ignis,  
Atque in pallorem tantus in ore rubor.  
Quid cum Vate velis, Raptor! non cantat in undis,  
Et tibimet Musam non dabit ille suam.

### Aliter.

En perit in gelidis, proh luctus! naufragus undis,  
Carminibus poterat qui sociare fidem.  
Ecce suo junctim moritur cum Vate Camena;  
Num Dea sic possit numne Camena mori.  
Cumque Illo junctim moritur quoque multus Apollo;  
Numne Deus possit, num vel Apollo mori.  
Ah non! Musa modo vivat, modo vivat Apollo;  
Crede mihi haud poteris, Care Poëta! mori.

### Aliter.

Credere figmentis si vis, est Vena Poëtis;  
Et dulcis Vatum rivus ab ore fluit:  
Sed Tibi cum tantis sic naufragus incidis undis,  
Nullus erit rivus nullaque vena magis.

### In Poëtam qui sa in sagum produxit.

Vox velis ut sagi sit se production, ipse  
Nolis et ut bellum sit breve sitque sagum:  
Te toga fortassis, Vates! vel pacis amictus,  
Sed scio non poterit nobilitare sagum.

In libellum nostrum dictum Daedalus  
Hyperboreus.

Daedalus en auras carpit, ridetque superne  
Quos sibi Rex Minos struxit in orbe dolos.  
Auras arte tua sic tu, mi Daedale! carpe,  
Atque dolos ride quos Tibi turba struet.

Aliter.

Te quia tot vallis Minos, quia milite claudit,  
Atque Tuæ in patria vile sit artis opus:  
Daedale finge alas! transque aquora dirige cursum;  
Non ibi clausus eris, non ibi vilis eris.

In Parentis mei Schibboleth.

Discimus hic, Genitor! liber est tuus ille Magister;  
Quomodo sit proavus sitque loquutus avus.  
Qualiter et noster, domuit cum Teutonas, inter  
Rite loquebatur Magnus Adolphus avos.  
Qualiter Herois tanti quoque Nata sit olim  
Cum Musis culta voce loquuta suis,  
Qualiter et subitis Hostem qui terruit armis  
Gustavus nostri Carolus orbis honor.  
Dicta doces Regum magnisque insculpta trophyaeis  
Verba, et tantorum in marmore sculpta Ducum;  
Sed quia jam veterum sunt rudera facta trophyae,  
Verba simul pereant ne quoque tanta caves.

Aliter.

En duplici triplici fortis Suio cingitur hoste,  
Hic Danus infelix, hic quoque Teuto venit!  
Sed patriam violet ne Teuto Danusque loquelam,  
His queiscunque potes viribus ipse cayes.

Aliter.

Quid, Suio! nilne sapis, nil quam praesentia curas,  
Et modo spectari quod queat ante pedes?

Neve, oblite Tui! vis praescius esse futuri,  
Nec bene praeteriti temporis esse memor:  
Sed, Genitor! melius, praesentia nosse simulque  
Quae fuerant et quae praeteriere, doces.

Aliter.

Cum Tua flagravit, Pater optime! villa, disertum  
Per flamas referunt hunc periisse librum.  
Usque at adhuc vivit, subiit non ille supremos,  
Neve gravis Suionum lingua decusque rogos.

Aliter.

Suada vetus Suionum moritur, vos ducite pompam;  
In Te sed rursus fit rediviva, Parens!

In Amazonam victam a Milite.

Quid sis crudelis! quid mollem saevis in hostem?  
Stringe modo gladium, et victa Virago cadet.  
Seque, dabit veniam, spoliare ut possis opimis;  
Telaque sub medio condere crebra sinu.

In militem imbellem, qui vulnus lethale sub  
pectore accipit.

Credere si liceat latitat sub pectore Virtus,  
Cum Vita Virtus estque necata tua.  
Morte peris duplici, miles! Tecum sub eadem  
Ipsa Tui virtus nam tumulatur humo.

In alium Vulneratum sub latere.

Credere num possis, plures timuisse Venustas,  
Heu! laesi lateris, quam timuisse Tui.  
Turba Puellaris quasi saucia Vulnere, Temet  
Reddere nulla magis Vulnera posse putat.

In Parentis mei effigiem aeneam, quae non liquefacta est in domus ejus incendio.

Haec erat in mediis facies illaesa favillis,  
Cum deflagravit nocte fluente domus.

Sic quoque post ignes, Genitor! tua fama supremos,  
Postque rogos vivet nomen amorque Tui.

Aliter.

Mira audi! in flammis haec sculpta latebat imago,  
Deflagrante domo; nec liquefacta fuit.  
Adspice, spectator, pietas his quanta labellis  
Insit; ut et plenus quam gravitate decor.  
Quae doctrina latens, quae vis lucescit ab ore:  
Quis faciei quosvis affidentis amor.  
Culpa foret tanto ni flamma pepercerit aeri,  
Reppuleritque suas hujus ab ore faces.

Aliter.

Mira Tibi referam, fuit haec indemnus imago  
Sub flamma, flammis cum periere Lares.  
Es, Pater! ut Phoenix, Tua forma renascitur igne,  
Vivaque per flamas in sua fata redit.

---

AD

**SOPHIAM ELISABET BRENNERIAM,**  
**UNICAM AETATIS NOSTRAE CAMENAM,**  
**CUM CARMINA SUA DE NOVO CANERET.**

---

Quas coluit Latium quondam vel Achaja Camenas,  
Ex vatum cerebro quaelibet orta fuit.  
Quae vero in Boreo colitur jam Pieris orbe,  
Illa est ex cerebro non nisi nata suo.  
Musa suum nomen debet vitamque Poëtis,  
Haec sibi se debet carminibusque suis.  
Se quoque BRENNERUS SOPHIAE, Sophiaeque Camena:  
Sic Musae est Phoenix, sic sibi, sicque Viro.  
Cum eitharam tangit, sic jungit carmina nervis,  
Ut potior fuerit facta Camena negem.

Ut superat lumen tenebras, vel corpus ut umbram:  
Sic Clarias superas ELISABETHA Deas.  
Te tantam, lauro Suiones hederaque coronent:  
Prima Eis Doctarum ac ultima forsitan eris.  
Si modo Te tulerint Naso vel Cantor Homerus,  
Pro totidem Musis, unica Musa fores.  
Auguror ipsa sequens sic Te venerabitur aetas,  
Ut Te pro Musa Semideaque colat.  
Nam fugiet Manes, ignes, cineresque supremos;  
Nesciet et mortem pars Tua magna suam.  
Hanc Tibi vaticinor lethen, ignosce putabit  
Postera Te SOPHIAN turba fuisse Deam.  
Hinc Te non aeri mandes memorique cupresso;  
Nec nomen cedro marmoribusque Tuum:  
Nam Tuum in ulterius nomen se porrigit aevum,  
Marmora cum pereunt Diva superstes eris.

---

CANTUS SAPPHICUS  
IN CHARISSIMI PARENTIS  
**DOCT. JESPERI SWEDBERGII,**  
EPISCOPI SCARENsis  
REVERENDISSIMI  
*DIEM NATALEM.*  
D. XXIX. AUGUSTI, ANN: 1716.  
AETATIS 63,  
SIVE  
ANNI CLIMACTERICI MAGNI.

---

Surge nunc, Sappho, cape mane multo  
Barbiton dextris, citharamque levis:  
Dum cubat stratis Genitor, quaterna  
Carmina plectas.

Num sub Auroram vigilet, relustra,  
(Fidus Auroraे solet esse Custos,)  
Tunc Eum circum canor, atque festa  
Vota susurrent.

Lux adest festis celebranda votis,  
Digna ter centum Clarium canore,  
Atque Sapphonum, fuerintve mille,  
Ore lyraque.

Nos modo binis modulisve ternis  
Tot lyris dignam celebremus horam:  
Nam pusillum tam Pietas amat quam  
Gaudia carmen.

Nam, Pater! septem novies recursus  
Videras coeli; toties et horam,  
Quae Tuae quondam fueratque Nostrae  
Lucis origo.

Pallui o quam! cum veniebat annus:  
Ille vivendi solet esse meta  
Pluribus, carisque Patrum Senumque  
Terminus aevi.

Laetus ast Ejus video canoque  
Exitum, laetus superesse fatis,  
Et nefasti Te, Genitor, periclis  
Gratulor aevi.

Centies posthac voveo recurrat  
Ille: sed forsan nimis est quod opto;  
Si nimis, septem novies at optem  
Usque recursus.

Scilicet, rursus videas ut aeyum  
Hoc: ut in Te se geminet senecta,  
Rideatque in bis geminis senectis  
Paene juventa.

Sed licet retro Tua sit juventus;  
Sit tamen vivax senium, usque menses  
Dum quot Augustos, numerare possis  
Totque nepotes,

Vovet  
EMAN. SWEDBERG.

AD

SACRAE REGIAE MAJESTATIS

SUMMAE FIDEI VIRUM,

**REGNI SUECIAE SENATOREM,**

CELSISSIMUM COMITEM,

*COMITEM*

DE

**W E L L I N G K,**

MUSARUM PATRONUM.

## F A B U L A.

Fabula narrat, Musam Uranien perdite amavisse Apollinem, et ideo exosam fuisse vitam Virginem et Juventam, quam perpetuo haberet: et quia Apollo non esset in coelis, se multis decoramentis ornavisse, et sic ex coelo descendisse: utque inveniret Illum, ivisse primum in Sueciam (quae sub Viraginis nomine venit), quae moesta staret, quam cum frustra interrogavisset de Apolline suo, ad Aulam Sueciae tetendisse; sed cum nec ibi suus Apollo reperiretur, in varia loca Europae, et tandem ad Brunswicam, ubi cum geminos fratres Castora et Pollucem spectaret, subito vidisse juxta illos Apollinem suum, ad quem cum accessisset, aperuisse statim suum amorem, et oravisse, si nolle redamare, ut potius auferret de se juventam, sive ut se in Virum transmutaret, quod etiam factum est. Unde Uranien (per quam se partim intelligit poëta) factam esse famulum Apollinis, ejusque adventum ivisse nuntiatum Sueciae.

---

## F A B U L A

DE

AMORE ET METAMORPHOSI URANIES  
IN VIRUM  
ET IN FAMULUM APOLLINIS.

---

Una \*) fuit Musas inter, sublimis in astris  
Quae sedet, et clarum nomen ab axe trahit:

---

\*) Musa Uranie, sub qua partim se intelligit poëta.

Illa sui Phoebi violento exarsit amore;  
Magnus in ore suo nil nisi Phoebus erat.  
Quid mihi, dicebat, juvat astris clarus Olympus  
Stelliferique ignes, cum meus ignis abest:  
Quid se perpetuo renovans juvat illa juventa,  
Cum non Consortem non habeamque torum:  
Gaudia sint aliis, mihi sunt haec taedia vitae,  
Felix si possim, Daphnis ut ipsa, mori.  
Sed quid sollicitor? totus fere novit Olympus,  
Quod Deus hic multas deperiisset amans.  
Musa licet dicar, jubearque a Pallade, castâ  
Et sine fine, eheu! virginitate frui,  
Usque tamen tentare licet, non durus Apollo  
Dicitur, est Musis deliciosus amor.  
Protinus astrifero se vult demittere Coelo,  
Quaesitura suum, quo sit in orbe, Deum.  
Seque levi tunica veloque recinxit, et ipsas  
Pectine nodavit dispositaque comas:  
Insuper et quandam desumxit ab Iride fucum,  
Quo tinxit niveas officiosa genas.  
Sideraque in tunicis dispersa hinc inde locavit;  
De Te qui fulges, multa, Trigone! tulit.  
De Te quae renites tot stellis, Virgo! venustas  
Et bene fulgentes sumsit amicta faces,  
Quas circum limbos posuit; nam pulchra videri  
Et voluit, credo, quod quoque visa fuit.  
Sic ornata polo, nitido descendit Olympo  
Et gelidum velox tendit ad Arcton iter.  
Accelerat cursum gelidas ferturque per auras;  
In tunicis positas vibrat at aura faces.  
Tendit et ad Suionas; putat hic quod Apollo lateret,  
Frigida quodque suas conderet Ursa faces.  
Utque venit, Nympham \*) spectat, quae Palladis instar  
Corpore sublimis, jam ore renixa stetit,  
Mente sua volvens vel se vel fata suorum;  
Moestus at indignans Ei quasi vultus erat,

---

\*) Sueciam, sub virginis nomine.

Immotum pandumque tenens in pectore lumen;  
Visa suis paulum est lapsa fuisse genis:  
Nulla fuit rutilans et acuta in casside crista,  
In medio clypei nullaque Gorgo fuit:  
Et circum circa non Palladis instar amicta,  
Nuda fuit dextro ceu spoliata genu?  
Musa venit propius, spectat, vultusque tuetur,  
Et sua magnanimis quod sit amica stupet:  
Suecia erat: fuerat quae olim tot origo Deorum,  
Atque triumphantis Martis amoenus amor;  
O mea magna Soror! dixit, quid moesta revolvis?  
Dic mihi, si placeat, queis sit Apollo locis?  
Una novem Musas inter numeror; meus ignis  
Est Phoebus, mihi dic, quae colit Ille loca?  
Suecia nil retulit, tacito sed murmure secum  
Dixit, in his vellem, o! esset Apollo locis!  
Ora tamen solvit post multa silentia, dicens,  
Quam vellem ut nostris esset Apollo locis!  
Et tacuit sensitque: sed indignata Camena  
Hinc retulit tanquam fulmine tacta pedem:  
Adque Arcem et celebrem tantis Heroibus Aulam  
Tendit, ibi certo quod sit Apollo putans.  
Limina cum pedibus tangit, nova limina, mirum!  
Atque novum Sceptrum vidi, eburque novum:  
Ancipites vultus, tacitos mistosque susurrus  
Audiit, et gravibus murmura mista sonis.  
Omnia fulgebant auro; sed nullus Apollo  
Hacce nova Nymphae visus in arce fuit.  
Unus et alter erat, qui obliquo lumine spectans  
Parnassin, statim pulchra quod esset, amat.  
Sed fugit hinc Virgo dicitque, haec Curia forsan,  
Prout olim, Phoebum Numen habetque meum.  
Illuc flectit iter, medioque huc inspicit ore,  
Janua fortuito semiaperta stetit:  
En! videt hic Proceres circum circumque sedentes;  
Horum oculis quemvis ordine lustrat avens.  
Spectat Apollineus tegeret quod tempora ramus  
Magnatum, ast foliis pallida laurus erat.

Nympha dolet plangitque sinum, clamasset et alte  
Paene, inque his quod non esset Apollo locis;  
Quid faciet, retrahit vultum, mandatur abire  
Musa, et confestim janua clausa fuit.  
Hinc vaga per terras fertur; jam tendit ad austrum  
Jam quoque ad ortivos solis euntis Equos;  
Nec procul hinc gentem vidi cognomine Moscam;  
Quae nova quaeque fuit non sibi visa prius.  
Cujus et in medio visa est nova turba Deorum,  
Mars novus ore tumens et nova Pallas erat;  
Atque novus gelidae surgens e Balthidos undis  
Neptunus, Boreis concomitatus aquis;  
Quem circum Nereis duxit numerosa choreas,  
Et Nais quassavit terque quaterque pedes.  
Turbaque mista diis magnos imitata triumphos  
Est, quales quondam, Caesar Jule! Tuos.  
Sed quia nescivit novus an genuinus Apollo  
Esset in his populis, hinc Heliconis abit.  
Itque per ambages, sequiturque volumina Rheni,  
Quoque suas sinuat discolor Albis aquas;  
Error at est vanus, frustra est quaesitus Apollo;  
Quo quaerit magis, hinc ardet amore magis.  
Teutonicas et adit Nympha haec Erratica gentes;  
Casu et Brunswicam, noctu fluente venit;  
Mane toro surgit, medium partemque fenestrae  
Vix aperit, geminos dum videt Illa Duces:  
Castor<sup>1)</sup> erat Polluxque<sup>1)</sup>, sedet sublimis uterque  
Frater<sup>1)</sup> in auratis solis ad instar Equis<sup>2)</sup>;  
Celsaque Majorum vestigia pressit<sup>2)</sup> uterque;  
Nomine et Ingenio clarus uterque fuit.  
Non procul a fraenis stat Vir Venerabilis<sup>\*)</sup> unus,  
Sublimis micuit cujus ab ore vigor.  
Inque illo multum figit sua lumina Nymphe,  
Nescia quis sit, num forsitan Apollo suus.

<sup>1)</sup> Duces Brunswicenses. <sup>2)</sup> Insigne ducum.

<sup>\*)</sup> Apollo poëtae sive comes de Wellingk.

Cum loquitur, sublime loqui miratur, in ore  
Vera velut Pallas vel et Apollo fuit.  
Cum vellet suadere, oculis micat ignis, et ipsa  
Prodire ex vultu paene juventa cupit.  
De Proavis Fratrum, Genero, clarisque Nepotum  
Fatis, de Imperiis multa loquela fuit.  
Ut videt hunc Parnassis amans, rubor occupat ora,  
Plurimaque in toto corpore vena micat;  
En meus exclamat tantum quae situs in orbe  
Phoebus adest; utinam sit quoque noster amor!  
Dumque stupet, tunica stellisque venusta videri  
Dum cupid, en penitus sideris orba fuit;  
Plane ceu Phoebus, dum mane resurgit in axem  
Extinguit stellas Coelicolumque focos,  
Sic quoque cum Nymphae clarus spectatus Apollo  
Est, decor ei periit sidereusque nitor:  
Sed ruit usque foras, omnisque oblita decori  
Et vult ad Phoebi flexilis ire genu;  
Quid deceat faciatque sui obliviscitur, ardor  
Tantus erat, vocem praecipitabat Amor;  
Atque O! clamabat, tantum quae sit per orbem  
Phoebe! mihi dicas, si meus esse velis.  
Suasit iter violentus amor, hinc lapsa per auras  
Ad Temet volui non nisi ferre gradum:  
Si mihi, Phoebe! neges, cum sim Parnassis, amorem,  
Quid mihi amatura longa juventa juvat:  
Da potius moriar, juvenique extinguar in aevo,  
Vel da non juvenis simne puella magis.  
Ridet ad haec Phoebus et dicit, habeto quod optas;  
Illico mutatus prodit ab ore sonus,  
Voxque ei fit grandis puerique imitata loquela:  
Longaque quae fuerat fit brevis ipsa coma:  
Asperiorque parum fit vultus; uterque mamillae  
In pectus retrahit se recipitque tumor;  
Et coit inferior pars corporis; itque stupetque  
Cum se alia ex verso sentit habere viro:  
Fitque puer juvenis, nec quid de virgine restat,  
Quam, quod amavisset, jam veneretur amans

Fitque sui Phoebi famulus; Tibi Suecia Virgo!  
It narraturus, nunc quod Apollo venit.

Apollinis sui

Brunsvik d. 27. April  
1722.

humillimus famulus  
E. S.

---

IN PRAECONIUM INVENTIONIS  
TYPOGRAPHIAE.

LIPSIAE 1740.

Artis, quae format non ore, sed aere loquelas,  
Dum laudes rursus Lipsia docta colit:  
Heic laudes celebrem simul inventoris, at illas  
Tot nequeo numeris, quot meruisse scio.  
Quis fuerit? quaeras, non Gallus, Belga nec Anglus,  
Testibus at liceat credere, Teuto fuit.  
Schaefferum docuit Faustus, sed primus utrumque  
Guttenberg, hujus munere praela vigent.  
Nascitur ex rivis unde est fons Palladis, exque  
Praelis et numero, fons quod abinde fluat.

---

## NOTAE EDITORIS.

Ludus — 1841. inscripsi pro Ludus Heliconius, sive Carmina miscellanea, quae variis in locis cecinit Eman. Swedberg, (Swedenborg.) Editio altera, emendata et locupletata. Holmiae, Ex Officina Caroli Deleen. 1826.

### Variantes harum Editionum Lectiones.

- Pag. 8. l. 2. infr. geminantur legi pro geminatur.  
— 10. l. 12. Cultorem pro Cultorum.  
— 11. l. 22. quid pro quid quid; l. 25. vetabat pro vetebat.  
— 15. l. 12. amet pro amat; l. 25. Tibi pro Sibi.  
— 18. l. 54. choreas pro chorëas.  
— 19. l. 4. faciet pro facies; l. 10. efferretur pro effereretur.  
— 25. l. 5. dictam pro dicta.  
— 25. l. 8. mortali pro mortale.  
— 26. l. 22. suo pro sua.  
— 27. l. 4. elicis pro elicit.  
— 28. l. 15. Discimus pro Discimur.  
— 30. l. 15. Tua pro Tu.  
— 58. l. 24. orbem pro urbem, ut l. 9.

Paene pro Poene p. 32. l. 6. infr. p. 37. l. 2.

Colon fixi loco puncti p. 28. l. 9. post opus.

Comma adjeci p. 5. l. 2. infr. post duobus; p. 4. l. 26. post unda; p. 7. l. 15. post ver; p. 14. l. 51. post arbore; p. 15. l. 9. post fugis; p. 16. l. 8. post repetit; p. 22. l. 5. infr. post Deam.

- posui loco colli p. 29. l. 2. infr. post favillis.  
— loco signi interrogationis p. 46. l. 14. post Puellae.

Signum exclamacionis posui loco signi interrogationis p. 56.  
l. 16. 18. post locis.  
— interrogationis posui loco puncti p. 7. l. 26. post iter;  
p. 46. l. 15. post jocis; p. 47. l. 2. post ebur; p. 28.  
l. 1. infr. post pedes.

January, 1846.

## SWEDENBORG'S THEOLOGICAL WORKS.

BOOKS PUBLISHED BY THE SOCIETY FOR PRINTING & PUBLISHING THE WRITINGS  
OF THE HON. EMANUEL SWEDENBORG, INSTITUTED IN LONDON IN 1810.

AND SOLD AT THEIR DEPOSITORY BY

WILLIAM NEWBERY,

No. 6, KING STREET, HOLBORN.

### ENGLISH EDITIONS.

#### THE FOUR LEADING DOCTRINES OF THE NEW CHURCH,

Signified in Revelation xxi. by the New Jerusalem ;  
being those respecting the LORD, His Divine and  
Human Natures, and the Divine Trinity : the SA-  
CRED SCRIPTURE ; FAITH ; and LIFE. With  
an Introductory Preface, and an Account of the  
Author.

Royal 8vo., 6s. 6d.; demy, 4s. 6d.; foolscap, 3s.

*Each of the above Doctrines may be had  
separate, namely,*

#### THE DOCTRINE of THE NEW JERUSALEM RESPECTING THE LORD ;

To which is added, Nine Questions on the Trinity,  
with their Answers.

Royal 8vo., 2s.; demy, 1s. 6d.

#### THE DOCTRINE of THE NEW JERUSALEM RESPECTING THE SACRED SCRIPTURE.

Royal 8vo., 2s.; demy, 1s.

#### THE DOCTRINE of THE NEW JERUSALEM RESPECTING FAITH.

Demy 8vo., 6d.

#### THE DOCTRINE OF LIFE FOR THE NEW JERUSALEM,

FROM THE COMMANDMENTS OF THE DECALOGUE.

Royal 8vo., 1s. 6d.; demy, 1s.

#### ON THE NEW JERUSALEM AND ITS HEAVENLY DOCTRINE,

As revealed from Heaven ; to which are prefixed  
some Observations concerning the New Heaven  
and the New Earth.

Demy 8vo., 1s. 8d.

#### THE SAME WORK, without the Extracts from the Arcana Cœlestia.

Royal 8vo., 1s. 6d.

#### A BRIEF EXPOSITION OF THE DOC- TRINE OF THE NEW CHURCH,

Which is meant by the New Jerusalem in the  
Apocalypse.

Royal 8vo., 1s. 6d.; demy, 1s.

#### THE TRUE CHRISTIAN RELIGION ;

OR,

#### THE UNIVERSAL THEOLOGY of THE NEW CHURCH,

Foretold by the Lord in Daniel vii. 13, 14; and  
in the Apocalypse, xxi., 1, 2.

Demy 8vo., 8s.

## SWEDENBORG'S THEOLOGICAL WORKS,

### THE CORONIS OR APPENDIX TO THE TRUE CHRISTIAN RELIGION.

Treating of the four Churches on this Earth since the Creation of the World; with a brief Continuation.  
Demy 8vo., 1s.

### INDEX OF SUBJECTS and PASSAGES OF SCRIPTURE

IN THE TRUE CHRISTIAN RELIGION,  
Demy 8vo., 6d.

### ARCANA CŒLESTIA :

THE HEAVENLY ARCANA which are contained in the Holy Scriptures, or Word of the Lord, unfolded; beginning with the Book of Genesis: together with Wonderful Things seen in the World of Spirits and in the Heaven of Angels. With INDEX.  
Thirteen vols., demy 8vo., £1 18s.

*The Index, or any other volume, separate, 6s.*

### INDEX TO THE ARCANA CŒLESTIA,

IN TWO PARTS,

1. Of Words, Names, and Subjects.
  2. Of Passages of Scripture.
- Demy 8vo., 6s.

(This is the Index alluded to above.)

### THE APOCALYPSE REVEALED ;

In which are disclosed the Arcana therein foretold, and which have hitherto remained concealed. With INDEX.

Two vols., royal 8vo., £1 1s.; demy, 12s.

### INDEX TO THE APOCALYPSE REVEALED,

IN THREE PARTS.

1. Of Words, Names, and Things.
2. Of Memorable Relations.
3. Of Passages of Scripture.

Demy 8vo., 2s.

(This is the Index alluded to above.)

### THE APOCALYPSE EXPLAINED

ACCORDING TO THE SPIRITUAL SENSE,

In which are revealed [more fully than in the preceding Work] the Arcana which are there predicted, and have been hitherto deeply concealed. With INDEX.

Six vols., demy 8vo., £1 16s.

Any volume separate, 6s.

### INDEX TO THE APOCALYPSE EXPLAINED,

Demy 8vo., 3s.

(This is the Index alluded to above.)

### A SUMMARY EXPOSITION OF THE INTERNAL SENSE

OF THE PROPHETIC BOOKS OF THE OLD  
TESTAMENT and of the PSALMS of DAVID.  
With a twofold INDEX.

Demy 8vo., 1s. 6d.

### ON THE WHITE HORSE,

Mentioned in the Apocalypse, chap. xix., with References from the Arcana Cœlestia on the subject of the Word, and its Spiritual or Internal Sense.  
With an APPENDIX. Demy 8vo., 6d.

### ON THE DIVINE LOVE AND THE DIVINE WISDOM.

(Extracted from the *Apocalypse Explained*.)  
Demy 8vo., 1s.

### ANGELIC WISDOM CONCERNING THE DIVINE LOVE AND THE DIVINE WISDOM.

Royal 8vo., 4s. 6d.; demy, 2s. 6d.; sewed, 2s.

### ANGELIC WISDOM CONCERNING THE DIVINE PROVIDENCE.

Royal 8vo., 6s.; demy, 4s.

### THE DELIGHTS OF WISDOM CON- CERNING CONJUGIAL LOVE :

AFTER WHICH FOLLOW,  
THE PLEASURES OF INSANITY CONCERN-  
ING SCORTATORY LOVE.  
Demy 8vo., 5s.

### THE INTERCOURSE BETWEEN THE SOUL AND THE BODY,

Which is supposed to take place either by Physical Influx, or by Spiritual Influx, or by Pre-established Harmony.

Demy 8vo., 6d.; foolscap, 4d.

### CONCERNING HEAVEN AND ITS WONDERS, and CONCERNING HELL,

Being a Relation of Things heard and seen.  
Royal 8vo., 8s.; demy, 4s.

### ON THE EARTHS IN OUR SOLAR SYSTEM,

Which are called Planets; and on the EARTHS in the STARRY HEAVENS : with an Account of their Inhabitants, and also of the Spirits and Angels there; from what has been heard and seen.  
Demy 8vo., 1s.

### AN ACCOUNT of the LAST JUDGMENT AND THE

### DESTRUCTION OF BABYLON ;

Shewing that all the Predictions in the Apocalypses are at this day fulfilled: being a Relation of Things heard and seen. To which is added,

A CONTINUATION CONCERNING the LAST  
JUDGMENT and the SPIRITUAL WORLD.  
Demy 8vo., 1s.

FRENCH EDITIONS,

*Of M. le Boys des Guays.*

ARCANES CELESTES

De l'Ecriture Sainte ou Parole du Seigneur dévoilés, ainsi que les merveilles qui ont été vues dans le monde des esprits et dans le ciel des anges.

Tomes I. and II., 8s. each.

L'APOCALYPSE DANS SON SENS SPIRITUEL,

D'après l'Apocalypse Révélée et l'Apocalypse Expliquée 8s.

DOCTRINE DE LA NOUVELLE JERUSALEM SUR LE SEIGNEUR.

2s.

DOCTRINE DE LA NOUVELLE JERUSALEM SUR L'ECRITURE SAINTE.

3s.

DOCTRINE DE VIE POUR LA NOUVELLE JERUSALEM,

D'après les Préceptes du Décalogue. 2s.

DU DIVIN AMOUR ET DE LA DIVINE SAGESSE,

(Ouvrage Posthume.) 3s.

DU CHEVAL BLANC

Dont il est parlé dans l'Apocalypse, chap. xix. 8d.

WELCH EDITION.

TRAETHAWD YNGHYLCH CAERSALEM NEWYDD, A'I HATHRAWIAETH NEFAWL,

Fel y datguddiwyd hi o'r Nef: ynghyd a rhai sylwiadau ynghylch y Nef Newydd ar Ddaear Newydd.  
Demy 8vo., 1s.

*The above Works are translations from the Latin, except the Indexes to the Apocalypse Explained and True Christian Religion; and the French work on the Apocalypse.*

LATIN EDITIONS, in 4to.

APOCALYPSIS EXPLICATA SECUNDUM SENSUM SPIRITUalem;

Ubi revelantur Arcana, quae ibi prædicta, et hactenus ignota fuerunt. Opus posthumum.  
Vols. 3 and 4, each 10s.

DE NOVA HIEROSOLYMA

Et ejus Doctrinâ Cœlesti : ex auditis e Cœlo. Quibus præmittitur aliiquid de novo Cœlo et Novâ Terrâ. 4s.

DE ULTIMO JUDICIO, ET DE BABYLONIA DESTRUCTA :

Ita quod omnia, quae in Apocalypsi prædicta sunt, hodie impleta sint. Ex Auditis et Visis. 2s.

INDEX RERUM IN APOCALYPSI REVELATA.

Opus posthumum. 3s.

INDEX VERBORUM, NOMINUM ET RERUM IN ARCANIS CŒLESTIBUS.

Opus posthumum. 8s.

QUÆSTIONES NOVEM DE TRINITATE, &c.

Ad Emanuelem Swedenborg propositæ a Thoma Hartley; tum illius Responsa. 6d.

# SWEDENBORG'S THEOLOGICAL WORKS.

## LATIN EDITIONS, in 8vo.

DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ  
DE DOMINO.

2s.

DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ  
DE SCRIPTURA SACRA.

2s.

DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIE-  
ROSOLYMA

Ex Præceptis Decalogi : et DOCTRINA NOVÆ  
HIEROSOLYMÆ DE FIDE. 2s.

DE DOMINO ET DE ATHANASII  
SYMBOLO.

Opus Posthumum. 1s.

DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ  
DE CHARITATE.

Opus Posthumum. 1s.

CANONES, SEU INTEGRA THEOLO-  
GIA, NOVÆ ECCLESIAE.

De Deo Uno et Infinito. De Domino Redemp-  
tore : et de Redemptione. De Spiritu Sancto. De  
Divinâ Trinitate. Opus Posthumum. 1s.

## *Dr. Tafel's Editions.*

### ARCANA CŒLESTIA

Quæ in Scriptura Sacra seu Verbo Domini sunt,  
detecta : una cum Mirabilibus quæ visa sunt in  
mundo spirituum et in cœlo angelorum.

13 vols., 10s. each.

THE SAME WORK, on inferior paper, each  
vol. 8s.

SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO  
AMORE ET DE DIVINA SAPIENTIA.

4s.

DE COMMERCIO ANIMÆ ET COR-  
PORIS,

Quod creditur fieri vel per influxum physicum, vel  
per influxum spiritualem, vel per harmoniam præ-  
stabilitam. 1s.

### DIARIUM SPIRITUALE.

E Chirographo in Bibliothecâ Regiæ Academiæ  
Holmiensis asservato.

Pars I. Vol. I. 12s. Pars IV. 4s.

— Vol. II. 18s. — V. 4s.

Pars II. — 11s. — VI., continens Indicem

Pars III. Vol. I. & II. £1. Partium II.—IV. 4s.

ADVERSARIA IN LIBROS VETERIS  
TESTAMENTI.

Ex operibus posthumis in Bibliothecâ Regiæ Aca-  
demiae Holmiensis asservatis. Fasc. 1, 2, 3, 4.  
2s. 6d. each.

### DICTA PROBANTIA

Veteris et Novi Testamenti collecta et breviter  
explicata. E Chirographo in Bibliothecâ Regiæ  
Academiae Holmiensis asservato. 4s.

*Reports of the Society's proceedings may be had gratis of the Publisher, W. Newbery,  
6, King Street, Holborn.*



